

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0617

0615

0621

0611

0626

0606

0666

0566

0716

0516

1116

0116

Ende

Anfang

44

malam fidem. Sicut videmus, quod propter malam fidem aliqua ad sanitatem alicujus languoris faciunt, quae nulla naturali ratione nec aliqua arte ad sanandum languores apta sunt: sciut, si equus meus claudicat in dextro pede, statim cum ligaturis dextrum pedem vaccae meae non claudicantis involvo, et sanatur equus; non propter ligaturam vaccae, sed propter perfidiam meam, qua haec credo. Sic est in proposito. Ex quo gubernator navis credit, quod aqua Jordanis paucula totum aerem et mare magnum immutet et ventos arceat, ideo in poenam peccati sui permittit Deus navigationis impedimentum, ut perfidia sua incrementum capiat. Quod autem sit superstitionis, patet etiam ex eo, quod multi inveniuntur aquam hanc transduxisse, licet minus bene fecerint, quia Papa prohibuit etc. Et tantum me evagatum fuisse sufficiat a Jordanis balneatione usque ad maris magni navigationem. Igitur ad vocationem Sarracenorum egressi sumus de sancto Jordane, et indui vestibus de alveo sursum ascendimus, et stantes locum consideravimus. Consedimus tum ibi inter arbusta, et panem et alia, quae de Jerusalem portavimus, manducavimus, et non curavimus Sarracenos, qui stabant et continue nos ad recessum vocabant.

De Jordanis descriptione, et primo de ejus origine.

Jordanem fluvium descripturus tria de eo dicam. 1) Ejus originem. 2) Ejus qualitatem. 3) Ejus commendationem.

In descriptione Jordanis necesse habeo facere mentionem locorum, quae oculis meis non vidi, quia peregrinatio se extendit usque ad Jordanem, sed non usque ad ejus principium. De ortu igitur Jordanis communiter dicitur, et verum est, quod oritur sub monte Libanon a duobus fontibus confluentibus, Jor scilicet et Dan, et ab utroque nomen sortitur, et Jordan vocatur. Altius tamen quidam ejus originem indagarunt; dicunt enim, quod Euphrates, fluvius (199 A) paradisi, emittat per occultum subterraneum meatum rivulum, qui congregatur in fontem profundum et semper plenum, sed non effluentem, quem nominant Phyla. Sarraceni nominant eum Maydan, et Matth. 15. dicitur Megedan, et Marci 8.

